



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Sessio IV. in ordine.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

lium, nisi ex causa rationabili, examinanda per deputatos, seu deputandos ab hoc sacro Concilio. Qua causa examinata & approbata, possunt recedere cum licentia huius vel illorum, qui habet vel habent auctoritatem: & tunc recedens teneatur dimittere potestatem suam aliis remanentibus, sub poenis iuris, & aliis per hoc sacrum Concilium indicendis, & in contrarium facientes exequendis.

Super his autem articulis lectis & approbatis per cardinales & Concilium, magister Henricus de Piro, promotor & procurator Concilii, nomine totius Concilii & imperatoris petiit instrumentum.

#### SESSIO IV.

in ordine.

**D**IE Sabbati trigesima & penultima mensis Martii supradicti, fuit sessio generalis in ecclesia cathedrali Constantiensi praedicta; & celebrauit Missam de Spiritu sancto dominus patriarcha *\* mane ante prandium, in qua fuerunt ducenti patres, &c. Et fuit ibidem peractum officium de Spiritu sancto, cuius officii Missam celebrauit dominus patriarcha Antiochenus. In qua sessione fuit Romanorum rex in habitu & insigniis ad regem Romanorum spectantibus; & cardinalis Florentinus pronuntiauit articulos & constitutiones sequentes: *bitu & cum insigniis ad regem Romanorum spectantibus. Nec non reuerendi patres domini Iordanus de Vrsinis, Angelus Laudensis, Antonius de \* Salancho, Antonius Aquileiensis, Amadeus Salutarum, Ludonicus de Flisco, Guilielmus sancti Marci, Alamannus Pisanus, Franciscus Florentinus cardinalis. Officio vero Missae facta, legebantur litaniae cum introitu, Exaudi nos Domine. Quibus factis, statim dominus cardinalis Florentinus legebat quasdam constitutiones seruandas per Concilium, quarum tenores sunt inserti inferius. Quibus lectis & approbatis per generalem Synodum, siue Concilium, Henricus de Piro procurator & syndicus nationis Germanicae, petiit sibi fieri nomine dictae nationis a nobis notariis Concilii, & eorum quolibet, ipsius Concilii nomine, unum vel plura, publicum seu publica, instrumentum seu instrumenta. Sic similiter procuratores & syndici omnium nationum, regis Romanorum, uniuersitatum studiorum, & ambasiatorum, praesentibus ibidem illustribus princi-**

\* Calancho

ANNO CHRISTI 1435.  
*principibus, Friderico burgrauio Nurembergensi, Rodulpho duce Saxonie, comite Suuartzburgensi, magistro curie regis Romanorum, comite Bertholdo de Vrsinis, ambasiatoribus regis Francie, Anglie, Poloniae, Noruegiae, Cypri, Nauarrae; nec non Ioanne de vicecomitibus de Mediolano, marchione Montisferrati, aliisque pluribus nobilibus, & reuerendis patribus in multitudine copiosa, testibus, &c.*

*Tenor vero dictarum constitutionum, de quibus supra fit mentio, sequitur, & est talis.*

In nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen.

Hac sancta Synodus Constantiensis generale Concilium faciens, pro extirpatione praesentis schismatis, & vnione ac reformatione ecclesiae Dei in capite & in membris fienda, ad laudem omnipotentis Dei, in Spiritu sancto legitime congregata, ad consequendum facilius, securius, liberius & vberius vnionem & reformationem ecclesiae Dei, ordinat, disponit, statuit, decernit & declarat, vt sequitur.

Et primo, quod ipsa Synodus in Spiritu sancto congregata legitime, generale Concilium faciens, ecclesiam catholicam militantem representans, potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cuiuscumque status vel dignitatis, etiam si papalis existat, obedire tenetur in his quae pertinent ad fidem & extirpationem dicti schismatis, & reformationem generalem ecclesiae Dei in capite & in membris.

Item quod sanctissimus dominus noster papa Ioannes vigesimus tertius Romanam curiam, & officia publica illius, vel illorum officarios, ab hac ciuitate Constantiensis ad alium locum non mutet aut transferat, seu personas dictorum officiariorum ad sequendum eum directe vel indirecte cogat, sine deliberatione & consensu ipsius sanctae Synodi; & hoc, quo ad illos officarios, vel illa officia, per quorum absentiam Concilium verisimiliter dissolueretur, vel laederetur. Et si contrarium fecisset, seu faceret in futurum, aut aliquos processus, seu mandata contra dictos officarios, vel alios quoscumque huic Concilio adhaerentes, etiam censuras ecclesiasticas, aut alias poenas quascumque continentes, vt ipsum sequerentur, fulminasset, fulminaret, seu fulminauerit, id totum sit

irritum & inane, nec eisdem processibus, censuris & pœnis, tamquam irritis & inanibus, quomodolibet obediendum fore, & eas & eos irritat: quinimo dicti officarii in dicta ciuitate Constantiensi suis officiis vtantur, & illa exerceant libere vt prius, quamdiu ipsa sacra Synodus in eadem ciuitate celebrabitur.

Item quod omnes & singulæ translationes prælatorum, nec non priuationes eorundem, aut aliorum beneficiorum quorumcumque, commendarum aut donationum reuocationes, monitiones, censuræ ecclesiasticæ, processus, siue acta & gesta, gerenda, agenda & fienda per præfatum dominum nostrum, aut suos officarios, seu commissarios, in læsionem Concilii, seu adhærentium eidem, a tempore sui recessus, contra adhærentes huic sacro Concilio, vel existentes in eodem, aut in ipsorum præiudicium, seu alicuius eorundem, quomodolibet ipsis inuitis facta vel fienda, factæ vel facti, faciendæ vel faciendi, ipso iure sint nulla, cassa, irrita & inania, cassæ, irritæ & inanes, ac nullius roboris vel momenti, ex sua auctoritate cassat, irritat & annullat.

Item fuit declaratum & conclusum, quod de qualibet natione eligantur tres, qui cognoscant de causis recedere volentium, & pœnis recedentium sine licentia infligendis.

Item quod pro bono vnionis non creentur noui cardinales. Et ne fraude vel dolo dicantur facti dudum cardinales aliqui, declarat sacrum Concilium pro non cardinalibus haberi, qui non erant cardinales publice reputati & tenti in recessu eiusdem domini nostri papæ a ciuitate Constantiensi.

Quibus lectis & approbatis per generalem Synodum, Henricus de Piro, promotor Concilii, petiit fieri a notariis Concilii & eorum quolibet, ipsius Concilii nomine, instrumentum & instrumenta, præsentibus ibidem illustribus principibus Friderico burgrauio Nu- *Item placeat reuerendissimis paternitatibus\*, quod quælibet natio habeat eligere duos deputatos, qui vel eorum duo habeant cognoscere de causis recedere volentium, atque habeant potestatem referendi præsidenti qui erit pro tempore: qui præsidentis habeat auctoritatem dandi licentiam secundum casus exigentiã:*

ANNO  
CHRISTI  
1415

rembergensi, Rodulpho duce Saxonix, comite de Suartzburg, magistro curix regis Romanorum, comite Bertholdo de Vrsinis, ambasiatoribus regis Francix, Anglix, Polonix, Noruegix, Cypri; nec non Ioanne de vicecomitibus de Mediolano, & aliis pluribus in multitudine copiosa.

Eadem die hora Vesperarum, vel circa, ad supplicationem regis Romanorum fuerunt omnes deputati omnium nationum, & quamplures ambasiatores regum, principum, vniuersitatum studiorum, congregati in ecclesia maiori Constantiensi; ubi serenissimus Romanorum rex prelibatus proposuit, qualiter alias dominus Riginaldus de Carneto archiepiscopus Rhemensis, portasset litteram creditiuam de domino Joanne papa vigesimotertio: qua recepta idem dominus archiepiscopus dixit sub nomine papæ, qualiter ipse recessisset de ciuitate Constantiensi, quod hoc erat propter aerem sibi inconuenientem, non propter aliquam impressionem, vim, vel metum aut timorem, sibi illatam seu illatum, inferendam seu inferendum per ipsum dominum regem, neque suos. Et alias prout dixit constare apud acta mei notarii. Modo autem haberet idem papa scribere dominis cardinalibus hic existentibus contrarium, videlicet, quod propter timorem ipsius domini regis, & aliorum dominorum suorum, recessit. Et ad finem, quod omnis homo scire possit tunc verba proposita & dicta per dictum dominum archiepiscopum Rhemensem nomine dicti domini papæ, supplicauit ipse domino archiepiscopo, ut ipse surgeret, & referret ambasiatam suam tunc ipsi regi nomine papæ factam. Qui dominus Riginaldus archiepiscopus leuauit se, & dixit, quod nuper post recessum papæ de Constantia, ipse mittebatur per dominos ambasiatores regis Francix suos collegas, ad oppidum Schafhusen. In quo reperiebat papam in vigilia palmarum, referens & exponens papæ sibi iniuncta per suos collegas. Quo exposito, papa sibi dixit, quod non deberet recedere, quin loqueretur sibi, cum vellet sibi aliqua committere relatiua carissimo filio suo regi Romanorum, & aliis Constantiæ existentibus: & si in casu, quo ipsemet non committeret sibi, tunc faceret sibi dici per dominum cardinalem de Salancho, qui ibidem similiter existerat. Ipseque dominus Riginaldus archiepiscopus iuit ad

Concil. Tom. 29.

K k ij

certam cameram, ibidem pausando; & post eius dormitionem venit ad eum dominus de Salancho, & iniunxit sibi certa quæ deberet referre domino regi, & aliis certis Constantiæ existentibus, nomine papæ, dans sibi quatuor breuia. Quorum unum domino regi, aliud cardinalibus, tertium ambasiatoribus regis Franciæ, & quartum ambasiatoribus vniuersitatis studii Parisiensis. Receptisque per eum huiusmodi breuibus & informationibus a dicto domino cardinali de Salancho nomine papæ, recessit de Schafhusen, rediens ad Constantiensem ciuitatem. Ascendensque palatium papale, reperit ibidem serenissimum principem regem Romanorum sæpe dictum cum dominis cardinalibus, cumque ambasiatoribus regis Francorum, ambasiatoribus studii Parisiensis, & aliis deputatis nationum, porrigens ibidem breuia sibi commissa, & præsertim breue directum Romanorum regi. Quo viso & lecto, ipse de mandato domini papæ, & eius iussu dixit, qualiter dominus noster papa non recessisset de Constantia ob aliquam impressionem, vim, metum, timorem, siue aliam causam, siue culpam, quam posset imponere domino regi, neque suis; sed propter sanitatem corporis: & offerret se impleturum omnia quæ promisisset in Concilio Constantiensi, & quod diligeret dominum regem sicut unquam, & libenter vellet secum conuenire, si contingeret ipsum ire Niciam ad Petrum de Luna, & secum conferre de modo vniõnis & reformatione ecclesiæ: & alia dixit, prout superius in eius relatione continetur, in die Lunæ post diem palmarum facta: & illa dixit tunc, quod papa iniunxisset sibi, non obstante quod acceperat ab ore cardinalis de Salancho, cum unum & idem reputasset papam & cardinalem de Salancho, quo ad huiusmodi relationem: & si aliqui dicerent vel scriberent contrariū, non posset in contrarium: & quod satis admiratur de hoc. Cardinalis vero de Salancho, qui ibidem erat præsens, dixit, quod papa iniunxisset sibi talia dare in mandatis, licet dixit, quod deberet dicere, quod non propter impressionem, vim, metum, aut timorē domini regis præcise, sed bene ob timorem aliquorum nobilium de curia sua, de quibus habuisset papa timorem. Sed de persona regis non diffidisset, quam diligit sicut unquam. Super quibus serenissimus dominus rex Romanorum petiit ibidem per protonotarium sedis apostolicæ, Concilii, nationum, aliosque notarios & tabelliones ibidem existentes, fieri unum vel plura, publicum seu publica, instrumentum seu instrumenta. Similiter ambasiatores regis Francorum nomine archiepiscopi Rbemensis, & magister Benedictus de vniuersitate Parisiensi, præsentibus ibidē ambasiatoribus

ANNO CHRISTI 1415.  
\* Suedia  
\* Suecia & Poloniae regum, filio marchionis Montisferrati, Ioanne de vicecomitibus de Mediolano, Rodulpho duci Saxoniae, aliisque ambasiatoribus, praelatis & doctoribus in numero copioso.

SESSIO V.

**D**IE Sabbati sexta mensis Aprilis, anno a natiuitate Domini 1415. indictione octaua, fuit sessio generalis in ecclesia cathedrali Constantiensi deputata, in qua fuit serenissimus Romanorum rex praefatus in veste imperiali cum nobilibus suis ministrantibus sibi in insigniis. In qua sessione inter alios cardinales ibidem existentes praesidebat Concilio dominus Iordanus episcopus Albanensis, cardinalis de Vrsinis. Et cantabatur Missa de Domina nostra per dominum Raynaldum archiepiscopum \* Rauennatem, fueruntque pronuntia- \* Rhemensis. *Qua cantata, ti articuli & constitutiones iuxta ritum aliarum sessionum sequentes per reuerendum legebantur litaniae cum introitu, dominum Andream ele- Exaudinos Domine, &c. & ctum Poznaniensem. collecta pro pace vnionis, ac euangelio \* , & hymno, Veni creator Spiritus, &c. praesentibus ibidem dominis, Angelo Laudensi, Antonio Aquileiensi, Guilielmo sancti Marci, Antonio de \* Salancho, Almanno Pisano, presbyteris; Amadeo Salutarum, & Francisco Florentino, diaconis cardinalibus: absentibus vero Ioanne Vinariensi, Petro Cameracensi, Francisco Venetiaram, & Ludouico de Flisco, cardinalibus, licet in dicta ciuitate praesentibus, ut publice ferebatur. Dictoque officio Missae, litanis cantatis & dictis, surrexit de mandato totius sanctae Synodi reuerendus pater dominus Andreas electus Poznanien- sis, & certa capitula per modum constitutionum synodalium, prius per singulas quatuor nationes conclusa & deliberata, legit & publicauit: quorum tenores sequuntur, & sunt tales.*

In nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen.

Hac sancta Synodus Constantiensis generale Conci- <sup>Sup. sess. 4.</sup>  
lium faciens, pro extirpatione ipsius schismatis, & vnione & reformatione ecclesiae Dei in capite & in membris, ad laudem omnipotentis Dei, in Spiritu sancto legitime congregata, ad consequendum facilius, securius, liberius vnionem & reformationem ecclesiae Dei, ordinat, dif-